

ΛΟΤΚΙΑΝΟΥ ΣΑΜΟΣΑΤΕΩΣ

[σύγγραμμα ζητοῦν]

ΠΩΣ ΔΕΙ ΙΣΤΟΡΙΑΝ ΣΥΓΓΡΑΦΕΙΝ.

Argumentum huius libelli.

Hoc libello, quem ad dialogos male retuleris, de cuius pretio vero *Wielandus Vir Illus̄tr T. IV. p 77. sq.* recte decernit, Lucianus ineptos sui aeui historicos perstrinxit, aliisque, ad conscribendam historiam postea se collaturis, viam monstrare studuit, qua incedentes laudem sibi possent parare. Auctor vero secutus est hunc sententiarum ordinem, haud sane omni ex parte probabilem. Exordium pertinet ad caput usque sextum; in c. 10 partim scriptores istos comparat cum Abderitis, et iis quidem male sanis, (vnde (c. 1.) narrat, quae Abderitis accidisse dicantur, eaque ad historicos transfert (c. 2.)) partim de consilio suo, utili pariter ac ipsis historicis molesto, pluribus exponit (- c. 5). Deinde descriptionem totius libri exhibet; docere vult, quae vitanda, et quae sequenda sint, ita tamen, ut, neglectis praeceptis ad scribendi genus omnino pertinentibus, ea sola afferat, quae historiae sint propria (c. 6).

Reprehendit igitur encomia modum excedentia inepta et ficta (c. 7.); ut autem ratione contra ea disserat, monet, discrimen esse inter poēsin et historiam; multa licere poētae fingere et ornare, a quibus abstinentum historico (c. 8.); non omnes laudationes re-

A